
IOANNIS MANELPHI

ERETANI SABINI

In Almo Vrbis Gymnasio Primarij Medicinæ Practicæ Professoris.


APPENDIX.

Ad ea quæ in Decertatione de parte affecta Pleuritidis dicta sunt.





ROMÆ,
Typis LVDOVICI GRIGNANI. MDCXLIII.
Superiorum Permissu.



EMINENTISSIMO
ET REVERENDISS. D.
D. FRANCISCO
CARDINALI
BARBERINO.

IOANNES MANELPHVS. F.



ENO Cittieus dicebat τὸ εὖ, γίνεται παρὰ μικρὸν ἀ μλὼ μικρὸν εἶναι. *ideſt, vt aliquid fiat bene, naſci quidem paulatim, ſed*

tamen non esse paulum: præsertim verò id præstandũ esse dicerẽ in re graui, ardua, difficultatibus inuoluta, quemadmodum sedes pleuritidis est ad cuius Decertationẽ quam superioribus diebus edidi, hanc Appendicem addendam esse duxi; ratus nempè quod etiã si paulatim fiat, non tamen paulum quid erit, non paulum inquam si intimè perpendatur, haud verò quoad verba; verba siquidem non computantur, vt vulgari prouerbio fertur. Et quoniam accessoriũ Comes est sui principalis, tuæque Eminentiæ


Decertationem prærecensitam dicare ausus fui: Proindè Appendicem hãc ad eandem Decertationem, tibi pariter Eminentissime Princeps, tanquam Patrono dignissimo, Do, Dono, Dico. Vale.

IOANNIS ANDREÆ MANELPHI

AVTORIS FILII.



HAEC libri Appendix, Princeps, tibi sistitur vni
Cui libuit læta cernere fronte librum
Namque erit obsequij appendix; augente laborem
Patre, auget supplex filius obsequium.



IOANNIS MANELPHI ERETANI SABINI,

In Almo Vrbis Gymnaſio Primarij Medicinæ Practicæ Profeſſoris.

APPENDIX

Ad ea quæ in Decertatione de parte affecta Pleuritidis dicta ſunt.



VANQVAM in Decertatione de loco affecto pleuritidis ſuperioribus diebus edita, ſatis ſuperquè

probauerim, hunc primariò esse pulmones, non autem membranam costas succingentem, ὑπεζωκῶν Græcè appellatam, ὑπεζωκωὶ inquam non πλευρὰν, cũ πλευρὰ dictio propriè, & per se costã significet, non verò mẽbranam costam succingentem, vt communis fuit semper opinio, atque intelligendi modus apud omnes medicinæ Doctores: Nihilominus, in gratiam illorum quibus maximè arrisit hæc mea sententia, non nulla alia in medium afferre duxi, quæ hæc sunt.

Nempè dicebatur huius sententiæ Autorem primum fuisse Hippocratem in lib. de loc. in homine, quò loci his ad vnguem

guem verbis alloquebatur: Quū in pulmones fluxerit ex capite, per guttur, & aortas appellatas appendentes partes pulmonis, pulmo tanquam natura rarus, & ſiccus, trahit in ſe humorem quantum eius capere poteſt, & vbi influxerit maior fit: & vbi quidem in totum fluxerit, extremitas eius maior reddita, vtrumquè latus contingit, & peripneumoniam facit, cum verò alterum tantum pleuritidem. In eodem quoquè libro de locis in homine, diſcutiendo Hipp. pleuritidem in particulari, & præſertim ſiccam. Pleuritis ſicca inquit, citrà defluxum fit, & cum pulmo valdè exiccatus fuerit præ ſiti neceſ-

ſa-

ſaria. Et lib. 1. de morbis, Aluus turbata, legitur, in pleuritico, aut peripneumonico malum; nempè quia dicerem, hi duo affectus eodem in loco enaſcuntur: ſi enim pleuritis in membrana ſuccingente coſtas primordia ſumeret, vtiquè mala haud eſſet aluus turbata, ſaltem ratione reuulſionis, atquè ad cauſam antecedentem auertendam, vt in alijs accidit inflammationibus. Eſto, exempli gratia, quod eriſipelas, ſiuè phlegmo, aut aliquis alius ſimilis abſceſſus, in parte externa thoracis exoriatur, nonnè aluum ſubducere, atquè pharmacum aliquod lenitiuum exhibere conuenit? Ità ſanè. Ergò

gò etiam in pleuritide phlegmone thoracis, ex communi ſententia, aluus turbata maximè opportuna eſſet. Verum quià non in thorace, ſiuè membrana recenſita, ſed pulmone pleuritis generatur. Propterea Hipp. in pleuritico, & peripneumonico aluus turbata malum inquit; ſicuti 6. Aph. 16. Pleuritide, & peripneumonia correpto alui profluuium adueniens malum; malum inquam alui profluuium in pleuritide, & peripneumonia, propterea quod, quæ in pulmone ſtabulantur per ſputum, & os expurgari ſolent; atquè alui profluuium tanquam motus contrarius exiccat, nec non prohibet

idem

idem ſputum, vt Hipp. docet lib. 3. de morbis. Et 3. de morbis dicto, nec non lib. de affect. initio. Non peccabit ſi quis etiã pleuritidem, & phrenitidem, vt peripneumoniã curabit; quià ſcilicet pleuritis, & peripneumonia eodem in loco fiunt; ſicuti etiam inchoatiuè interdũ, & phrenitis: prout enim me legiſſe memini in eodem lib. de affect. Hipp. in phrenitide inquit, dolor ad præcordia vexat, & 5. epid. Coco, legitur, in ſpina gibboſitas facta eſt ex phrenitide. Sed de hac rè quidquid ſit pro nunc, 3. de morbis Hipp. ait quod pleuritide ſicca laborantes, interdũ cruentam ſaniem emingunt, vt idem;

&

& Gal. docet lib. 6. de loc. aff. cap. 4. Ac tamen à membrana succingente nullæ sunt viæ ad vessicam, sed à pulmone potius: Vnde Gal. 6. de loc. affect. cap. 4. refert se obseruasse vomicam pulmonis lotio expurgatam, thoracis autem per aluum, atquè Schenchius lib. 2. obs. med. 99. ex Alexand. Benedicto lib. 3. cap. 9. Anat. refert Helium Bassum, qui à pleuritide euasit emissione per vrinas cruenti puris. Beniuenius etiam lib. de Abditis cap. 43. recenset Antonium quendam, qui etiam iudicatus fuit emisso per vrinam pure; Et postremò Dodoneus in Annotat. ad cap. 45. Beniuenij de Abdit. refert Rusticum

eua-

euasisse à pleuritide purulenta vrina reddita: similes historias recenset plures ibidem Schenchius, quas breuitatis causa omittam. Si autem aliquis scire cupiat, quò modo, & per quam viam, pus in pulmone existens per vrinas excernatur, adeat Galen. 6. dicto de loc. affect. vbi ait recipi primum pus à leui arteria pulmonis, deindè per sinistrum cordis sinum delatum in magnam incidere arteriam, per quam ad renes, & illinc ad vessicam descendere, nam vt à concaua vena, ità etiam à magna arteria rami ad renes demittuntur. Quarè pulmo est sedes affecta pleuritidis, non autem latus, siuè membrana lateris

teris

teris ſuccingens. Tertiò ſimiliter de morbis, expendendo Hipp. plures ſpecies pleuritidis, in curatione pleuritidis ex dorſo, poſteà quam multa præſcripſit, ad eandem curationem ſpectantia, tandem ſic loquitur: Atquè hoc modo hi morbi curati ſanantur, ſi non quid ſputi in pulmone relictum pus fiat; in quò caſu æger curandus eſt deindè ſicuti ſuppuratus. Si non quid ſputi inquam in pulmone relictum pus fiat. Igitur in pulmone generatur pleuritis, cum in pulmone ex eodem ſputum, ſiuè ſputi materia relinquatur. Si verò ſubiungit ex eo quod in pulmonem infusũ eſt, pus non educatur, rumpi-

tur

tur hoc ipſum ex pulmone in thoracem. Quarè à pulmone ad thoracem fluit materia pleuritidis, non autem ex thorace ad pulmonem, & ſic in pulmone etiam generatur, non autem thorace veluti dicebatur.

Nequè obſtat quod Hipp. interdum ſibi ipſi contradicat, atquè velle videatur quod pleuritis in thorace fiat, ſiuè eiuſdem latere: Nam vt annuebamus in noſtra decertatione, alia ſcripſit Hipp. ad docendum, alia ad ingenij exercitationem, alia verò ad memoriam, atquè amplius loquutus eſt alia cum eſſet iuuenis, alia autem cum ſenex eſſet. ideòque ſibi ipſi aduerſari viſus fuit nonnunquã.

Sed omissis pro nunc autoritatibus ex Hippoc. desumptis, præter eas rationes, quas in decertatione de parte affecta pleuritidis afferebamus, potest hæc conclusio, quod pleuritis in pulmone fiat, non autem mẽbrana costas succingente, etiam alijs rationibus comprobari. Et primò vt commune est axioma Aristotelis, actus actiuorum recipitur in patiente benè disposito. Proindè illa pars quæ magis est disposita ad inflammationem, ex eadem quoquè inflammatione magis vexabitur. Sed sic est quod pulmo est magis dispositus ad inflammationem suscipiendam, quam succingens costarum membrana.

Igitur pulmo ex eadem inflammatione magis afficietur, nec non etiam frequentius. & per cõsequens crebriores pariter essent peripneumoniæ, rariores autem pleuritides, quod experientia tamen falsum est, nempè raro accidit quod peripneumonia à principio sit peripneumonia, atquè pleuritidi vt plurimum superuenit, vndè Hipp. 7. Aph. 11. à pleuritide peripneumonia, non autem à peripneumonia pleuritis; atquè pleuritides frequentissimè accidunt, peripneumoniæ autem rarò. Quod autem pulmo sit magis dispositus ad inflammationem, membrana verò costas succingens minus, probatur primò

mò ex Hipp. 1. de morbis, vbi ait, lâtus natura carne nudum esse præ omnibus corporis partibus. Ergò etiam frigidius cunctis alijs partibus, & præsertim pulmone, qui calidus est propria natura,tanquam cordi propinquus; vndè & sanguine etiam tenuiori, nec non calidiori nutritur ex communi Medicorum sententia. Præterea abscessus, & apostemata non aperiuntur, nisi eorundem materia concocta. experientia id patet manifestissimè, quia si secetur apostema crudum, nihil vtiquè humoris ex eodem fluet, ex parte enim inflammata nihil trahitur, cum cruda est affectio, docet Hipp. 2. acut. Qua-

rè adhoc vt ſeparetur materia morbifica ex apoſtemate, neceſsè eſt vt concoquatur prius, nec non puris naturam adipiſcatur. Sic igitur, & in pleuritide, ſi in latere fit, antè quam materia eiuſdem ſeparetur ab abſceſſu, neceſsè eſt vt concoquatur, nec non pus anteà euadat. Ideoquè niſi ſuppurata etiam materia eiuſdem, non poteſt in pulmonem detrudi, atquè ſputo expurgari. Ergò etiam ſequeretur quod pleuritis non poſſet niſi per ſuppurationem iudicari, atquè etiam pleuritidis iudicationem, ſemper aliqua præcederet ſuppuratio, quod tamen falſum eſt.

Sed dicet aliquis, abſceſſus curan-

rantur etiam per resolutionem: Igitur non erit necessè quod pleuritis suppuratione præcedẽte perpetuò iudicetur. At resolutio quid est ego petam? Resolutio est transmutatio humoris in vaporum naturam,& euaporatio quædam. Pleuritides autem humorum reiectione per sputum manifestè iudicantur; non autem vaporum. Sed estò etiam quod in latere abscessus per resolutionem iudicari valeat. Si tamen iudicari debeat per euacuationẽ materiæ morbificæ,hæc nisi præcedente concoctione, siuè puris generatione, celebrari non potest. Atquè ità vt dicebamus semper aliqua suppuratio præcederet iudica-

tionem pleuritidis, si in latere fieret, neque materia eadem pleuritidis, nisi prius putrefacta, nec non in puris naturam transmutata, per pulmones, & sputum expurgari valeret.

Amplius si pleuritis fieret in membrana costas succingente, sequeretur, quod per pulmones expurgari non posset, neque tussi excerni materia, quæ eiusdem pleuritidis est causa; siquidem nullus est consensus cum pulmone, & membrana dicta, nulli adsunt ductus à membrana hipezocota ad pulmones, nullæ inquam viæ, neque arteriæ, neque venæ. Nam vt memini me legisse apud Hipp., & neotericè Petrus Vascus Lusita-

ſitanus docet in ſuis exercitationibus ad affectus thoracis, Ab omni ferè connexu liber exiſtit pulmo, & ſola ſuſpenſus arteria, atquè dorſi vertebris alligatus conſpicitur. Cum autem ductus, & riuuli nulli à membrana thoracis ad pulmones reperiantur. Ergò ſequitur neceſſariò quod materia pleuritidis, ſi in latere exiſteret, nequaquam per pulmones excerni valeret: Humiditas namquè de carne exilit per venas docet Hippoc. lib. 1. de morbis, & venæ ſiuè arteriæ quæ ſub nomine venarũ quoquè veniunt apud Cornelium Celſum, ſunt riui per quos corporis humiditates huc illucquè feruntur.

Nequè obſtat quod in pulmonibus adſit raritas quædam, & aſſimilis ſpongijs mollitudo, vt *Tullij* vtar verbis *lib. 2. de nat. Deor.* propterea quod mollitudinem ſpongioſam internè cõtinet pulmo, non autem externè; cum externè ex Arȩteo lib. 1. de ſignis, & cauſis morborum acut. cap. 10. denſa nec non robuſta membrana contegatur, quam materia phlegmonis in latere exiſtentis permeare non valet, niſi tamen rumpatur. Cum etiam pulmo, dum intrà ſe ambientem aërem inſpirando dilatatur, atquè thoracis mẽbranam tangit, potius motum expulſiuum gerat, quam attractiuum. Quamquam inquam ſpon-

ſpongioſus natura pulmo ſit, abſceſſum thoracis tangendo, illum, ſuamquè materiam contentam, pellit potius, quam intrà ſe trahat. Nequè veriſimile eſt, vt nonnulli ſibi perſuadent, ex violenta compreſſione à latere facta in pulmones, quaſi per vim, materiam illam aſſertæ pleuritidis, intrà eoſdem pulmones comprimendo cogi, atquè trudi: propterea quod dum latera comprimuntur, pulmones conſtringuntur, atquè in ſeſe magis reducuntur; ex quò motu difficilior potius intrà eoſdem ingreſſus materiæ pleuritidis redditur, quam aliàs. & præterea hæc violenta operatio celebrari non valeret, abſquè

ali-

aliqua pulmonis læſione ; ſeù vlcere eiuſdem . quæſo in exemplum accipiamus membranam tenuem, raram, quomodocunquè velimus, & deindè ſuper eandem comprimamus materiam aliquam, etiam violenter, niſi rūpatur haud valuerit materia hæc quæcunquè ſit, etiam tenuiſſima , eandem permeare,ſaltem in maiori copia: Quid ergò ſi loquamur de materia concocta , purulenta ; craſſa ; concocta craſſiora euadunt ex Ariſt. 4. Metheorologicorum ; Ergò minus penetrabilia ſunt , minus fluxilia, quemadmodum materia in thorace concocta eſt. Quarè non video, ſi pleuritis in latere thoracis fieret ; quà ratio-

ne

ne valeat per pulmones expurgari. Deindè abſceſſus concoquuntur ſerò, citius; prout in parte calidiore, vel frigidiore fiunt. Sed ſic eſt quod latus eſt pars frigidiſſima ex Hipp. 1. de morbis. Ergò pleuritis, ſi fieret in latere, non eſſet morbus acutus, ſed longus; ſicuti etiam experiẽtia patet in externis eiuſdem lateris paſſionibus, quarũ iudicationes ſeræ ſunt vt plurimum.

Sed quid ampliùs? vt aſſeritur in decertatione de parte affecta pleuritidis, aër ille, qui inſpiratur, intrà ſe ipſum retinet pulmo, nequè alibi fluit ex Hippocr. lib. 3. de morbis: ſpiritus inquiens Hipp. quem reſpirando

do attrahimus, in pulmone locum, & sedem habet; nota hæc verba Lector, locum, ac sedem habet, hoc est alibi siuè ad alias partes non fertur. Atquè ille insuper aër, qui in cauitate thoracis stabulatur, in substantiam pulmonis permeare non potest, veluti ex Hipp. colligitur pluribus quidem in locis, sed præsertim lib. 5. epid. in historia Billi in dorsum percussi. Vbi etiam Vallesius in commentario docet, aërem illum, qui ex vulnere thoracis fluit, esse illummet aërem qui per idem foramen vulneris ingressus fuit, non autem, qui à pulmonibus inspiratus anteà erat, dummodò tamen pulmones etiã non sint

sau-

ſauciati; ſiquidem in hoc caſu, etiam aër per pulmones reſpirando attractus, ex vulnere fluere poteſt, & de facto fluit, vt docet Hippocr. in Coacis prænot. ſect. 2. contex. 509. Accidit enim in pulmone, ſicuti, & in folle, non perforatus follis attractum aërem intrà ſe retinet, perforatus autem non retinet. Si autē ſcire cupiat aliquis modum pernoſcendi, an etiam pulmo ſauciatus ſit, atquè ille aër qui ex vulnere fluit, vtrum etiam à pulmone procedat, adeat Hipp. loco dicto in Coacis prænotionibus, vbi ſic loquitur: Moritur autem etiam ſi in arteriam, & pulmonē valdè magnæ plagæ fiant, itaut pulmone percuſ-

ſo

ſo, paucior ſpiritus per os procedat, quam is eſt, qui ex vulnere prolabitur; Non ſolum verò ſpiritus in ore diminuitur, cum pulmo etiam cum thorace ſauciatur, verum etiam, & vox minor editur. Siquidem vox eſt colliſio aëris reſpirati, ex Ariſt. 2. de anima context. 87. Prout ergò aër in maiori, vel minori copia reſpiratur, etiam vox maior, vel minor editur. Sed de voce quidquid ſit pro nunc, ſatis eſt ex dictis Hippoc. colligere quod pulmonis membrana, vt plurimum non aperiatur in pleuriticis, neque veriſimile eſt quod hic affectus in latere fiat, cum expirando æger pleuriticus ſpiritus non minor
ſit

ſit quam intrà pulmones eundem trahendo.

Nequè obſtat, vt nonnulli obijciunt, quod empijma, ſiuè ſuppuratio ex Hipp. pluribus in locis per ſputum iudicata referatur: propterea quod purulenta illa materia, quæ à ſuppuratis per ſputum excernitur, eſt materia, quæ intrà pulmones anteà reperiebatur: vt enim legere eſt apud Hipp. lib. de loc. in homine lib. 1. de morbis, & alibi, ſuppuratio fit intrà pulmones, fit in cauitate thoracis, generatur etiam in lateris carne: vndè lib. 1 dicto de morbis, quicunquè legitur, ſuppurati fiunt pulmone, aut ſuperiore, vel inferiore ventre, aut ibidem tuber-

cula

cula habent. Intrà pulmones igitur ſuppuratio fit, in ventre thoracis, ſiuè in latere. quæ autem ſuppuratio intrà pulmones reperitur, per ſputum excerni nec non iudicari poteſt. Sicuti quæ in ventre thoracis reperitur, vnica ſectione inter ſecundam, & tertiam coſtam curari debet (dummodo tamen, & pulmo non rumpatur) Audiamus, quæ Hippoc. docet circà hanc rem. Cæterũ inquit lib. 1. de morbis, ſuperiore ventre ſuppurati multipliciter fiunt, namquè pituita cum de capite copioſa, & aceruatim in ſuperiorem ventrem fluxerit, putreſcit, & in pus vertitur. putreſcit autẽ maximè in diebus viginti

vna, hoc igitur pus concutitur, & intus fluctuat ad latera allabens. Hic ſi vratur aut ſecetur priuſquam diuturnum fiat pus, ſanus plerunquè euadit. Eccè nullam aliam curationem docet Hipp. in ſuppuratione extrà pulmonem exiſtente, quam ſectionem recenſitam. Et 2. de morbis expendendo lateris tuberculum, Hunc inquit ægrum ſecato, aut vritò, nequè aliam præſcribit curationem. Lib. de internis affectionibus diſcutiendo peripneumoniá idem Hipp. poſt multa recenſita præſidia, tandem ſi pus docet, non eruperit in pectus, ipſe ſeipſum curet, hoc eſt materiam purulentam expuere conetur, dicerem:

Si verò erumpat pus in pectus; quà parte tibi ſignificationem de ſe prębere videbitur, illic maximè ſectione, aut vſtione facta, pus emittito. Ibidem, ſi in latere tuberculum naſcatur, & ſuppuratus fiat; hoc autem cognoſces quod ſuppuratum fiat latus, quià pus non expuit, nequè vomit. Perpende quæsò Lector hæc verba, expuitur materia purulenta in ſuppuratione intrà pulmonem facta, non expuitur verò in ſuppuratione extrà pulmonem, & in latere exorta. Hunc cum ſic habuerit, vbicunquè tumor ſignificationem de ſe præbuerit, ſecato aut vrito; nempè quià alia curatione non ſanantur ſuppurati ex-

trà pulmonem ego dicerem, & consequenter, illa, quæ reperiuntur in latere, per pulmonem expurgari non valent, vt idẽ accideret in pleuritide si in latere, vt inquiunt generaretur.

Et quod per pulmones, & os excerni non possint, quæ in cauitate thoracis stabulantur, amplius mihi comprobauit Nicolaus Larche Chirurgus eximius in hac Vrbe Roma, infrascripta, necnon mihi gratissima cum epistola.

Quanta me complecteris beneuolentia, non me latet (eruditissimè mi Manelphe) Non enim is sum, qui mei ipsius sim nescius. Idcircò non me difficilem, si me in obsequio tibi

tardius correſpondentem nactus fueris. Negociola ſiquidem, & æſtiui ardoris inſolentia, ad hoc vſque tibi, morem gerendi tempus diſtulerunt. Sæpius me rogaſti vt ſi quid hactenus experientia in tot annorum curſibus, quibus tot vulnerum genera vidi, de materiæ in thoracis cauitate purgatione (Illæſis pulmonibus) me edocuiſſet, ingenuè, & fideliter ad te ſcriberem. Vt autem ſemper mei fuit moris, iſque futurus, omnibus decenter obtemperare, & potiſſimum ijs, quibus habita ratione virtutis, & meritorum, cuiuſuis offitij debetur obſequium. Inter quos ſanè tibi meritò debetur. Tum

eorum exempla, qui adhuc in viuis ſunt, tum eorum, qui nuperrimè diſceſſerunt, in medium producam. Relictis quãplurimorum ſimul, & grauiſſimorum Autorum opinionibus, quæ in contrarium afferri poſſent, quoſque ſigillatim recenſere hominis eſſet otio abutentis, præſertim vbi cum eruditio viro ſermo habetur.

A viuis igitur exordiar, quorum primus erit Iacobus tunc temporis Illuſtriſſimorum DD. de Frãgipanis à Cubiculo familiaris, ſatis delicatæ complexionis annorum circiter 22., qui vulneratus in latus ſiniſtrum iuxtà ſextæ, & ſeptimæ legitimarum ſpatium. Per ſeptem

dies citrà penetrantis vulneris indicia optimè ſe habuit,atquè vt ſanus per cubiculum breui ſe ſperans domo diſceſſurum, deambulabat; Tranſacta octaua, & in principio nonæ corripuit ipſum difficultas reſpirandi, pulſus oppreſſus, ſudores frigidi, facies decolor, & quaſi hipocratica. Ex templo vocatus Dominus Proſper Cecchinus Præceptor meus, qui eum poſt ſeptimum tanquam incolumen deſeruerat. Miratus deprehendit ipſum hic omnia pati penetrantis vulneris cauſa. Iudicauit vulnus aperiri debere, vt contentæ materiæ exitus præberetur. Doloris metu patiens renuit, nec ſiuit tunc vul-

nus

nus reſerari. Idquè operis eò diſtulit, donec grauiore vrgeretur dolore. Cum igitur inter alia ſympthomata difficultatẽ reſpirandi grauius opprimeretur, Illuſtriſſimi DD. de Frangipanis miſeratione ducti, vtriuſque ſanitati conſulentes, animæ videlicet, & corporis, pœnitentiarium hora quarta noctis, & me accerſiri iuſſerunt. Aduenimus noſtro functuri officio. Percurata itàque animã, tanquam nobiliori, manũ corpori accinxi, & iam clauſumẽ vulnus reſeraui; Indè non mediocris materiæ ſanguinolentæ erumpit copia. Poſteà admota turunda, tum aëris pulmones refrigerantis, tum etiam virium

casus metu, fascijs circumuolutum, & à laboribus subleuatum dimisi. Reliquo noctis, stragulæ profusione materiæ (quæ paulatim effluxit) maduerunt: Itàut manè simul collecta duodecim librarum pondus facili negocio excessisset. Tandem sanus euasit absque vlla tamen puris per sputum reiectione.

Secundus erit quidam Iuuenis arte Sartor, nomine autem Ioannes Franciscus, qui vulneratus in pectore vulnere penetranti, pectus sanguine effluxo refertum habebat, ex quò deindè pus: Quod adhoc vsque tempus per vulnus remanente fistula indesinenter repurgatur. Nihil tamen puris per sputum

exer-

exercuit etiam si aliquando tussicula afficeretur. Iam bene valet, & huius rei veluti proprij infortunij ipsemet testis esse potest. Iacebat in Nosocomio Sanctæ Mariæ Consolationis lecto 17. qui mihi sæpius obuius est.

Tertius esto Citharædus Excellentissimi Comitis de Monterei Hispaniarũ Oratoris, hodie verò Regni Neapolitani Proregis: Qui in latere sinistro vulnere itidem penetranti gladio satis lato perfossus, iuxtà Templum Sancti Caroli in via Cursoria, cum à sacro rediret. Ipse statim deploratus, in Nosocomium Sancti Iacobi Incurabilium, omnibus tunc vita functuri

cturi sympthomatibus Comitatus delatus est veluti ad tam vrgẽtis necessitatis proximius subsidium. Cum ad confitendum tempus satis superesse videbatur. Multa sanguinis copia indè effluxit, nihil tamen per os reiecit, nequè tussiendo, nequè screando. Ipse per bimestrem illic hospitatus est, cuius vulnus bis quotidie insectionibus abstersiuis abluebatur. Tantæ calamitati plures ex præstãtissimis Vrbis, Artis Chirurgicæ professores opem suã laturi conuocati sunt; Inter quos exercitatissimi DD. Prosper Cecchinus, & Ferrantes, qui dum Roma per triduum abessem vices meas gessere. Hic tandem sanus euasit; Neapolim

lim profectus est vnà cum Excellentissimo Domino.

Vita functorum primus quidam nomine N. Eminentissimi Cardinalis Gessi à Cubiculo, qui cum in latus sinistrũ gladio percussus fuisset, vulnusque ad capacitatem thoracis penetraret, quasi periculo vacans curatum est, contrà tamen opinionem cuiusdam præstãtis, & exercitati Vrbis Chirurgi, qui nunquam tale vulnus spreuit. Idquè turũda admota nutriri debere obstrepebat. cuius opinionem tanquam inanem explosere. Fulti hac sola ratione, quod ipse nunquam sanguinẽ expuerat: Caussam difficultatis respirationis in musculos thoracis respirationi

sa-

famulantes reijcientes, quod sanè sæpiùs euenit. Transacta 15. aut 16. (si bene meminerim) me accersiuare, vt vnam cũ reliquis huius vulnerati curam habentibus, sensum meum in medium proferrem; perpensis itaquè multis proximæ mortis sympthomatibus, quæ sigillatim recensere prolixius, quam par sit, esset. Ægrotum succussi, materiamquè in thorace fluctuantem depræhendi. Vndè in consultò ægrum breui periturum audacter pronunciaui, viribus iam prostratis. Nam vnica salutis spes supererat, videlicet Paracenthesis, si vires constitissent. Sequenti verò, aut altera die migrauit ad plu-

res.

res. Ipſiuſque cadauer aperuerunt, idquè quod prædixeram ad vnguem inuenerè, vt multi ex Aulicis, qui in conſultò aderant obuiam mihi facti retulerunt. Vt ipſemet etiam Chirurgus, cuius nomem modeſto inuoluam ſilentio, ne alios impudenter detegere videar.

Secundus ſit quidam Iuuenis Sutor crepidarius, non dum vigeſimum ſuæ ætatis annum attingens: Qui vulneratus in poſteriorem, ac ſuperiorē thoracis partem vulnere penetrāti. Illa ſiquidem parte difficiliùs materia expurgatur, tū ob multiplices muſculos, illam partem inueſtientes, tum etiam ob varios fibrarum ordines ſeſe inmo-

modum chiaſmi decuſſatim interſecantes (vt ipſa anatome docet). Hic tandem factus eſt empiematicus, qui multò poſt à vulnere interpoſito tempore à quodam Chirurgo, me præſente (cuius nomen accuſare honeſtas vetat) ſectus eſt; ſed cum parum, aut nihil exercitatus eſſet in hac operatione, ſiuit inſpirando, per vulnus recens thoracem aëre repleri, & ſtatim admota manu vulneri, aërem ingreſſum cohibuit. Qui retentus, pulmones, vt expiraret deprimi vetuit, ſic ægrum proh dolor ſuffocauit. Perpendens animo vndè tam repentina mors. Cuius cauſam me docuit Philoſophia, quod duo lo-

cata

cata non poſſunt eſſe ſimul, & eodem tempore, in eodem loco, quod ſanè verificatur in hoc præſenti caſu. Si enim operator admotam vulneri manum amouiſſet, interitus cauſa (ſaltem ità repentini) non extitiſſet. Aër quandoquidem incluſus concidentibus in ſeſe pulmonibus aufugiſſet. Et ſic liberi pulmones aërem inſpiraſſent, vitamquè miſeri vlterius fouendo protraxiſſent: Cuius errore edoctus ego, in paracentheſi exercenda opus gladio ancipiti inceptum, digito eundem comitante proſequor. Et ità aëri ingreſſuro denegatur aditus, donec æger depoſito timore perfectam habeat reſpirationem.

Ni-

Nihil etiam ſanguinis, aut puris relatus ęger expuere viſus eſt. Plura tibi huiuſmodi potuiſſem afferre vtriuſquè viuorum videlicet, & mortuorum exempla (mi erudítiſſime Manelphe) niſi tedioſus magis quam offícioſus forem. Tu interim ſi quid aliud in me officij depræhenderis, quod tibi præſtare queam eò vtere, & vale.

Ex ædibus meis 3. Kalendas Ianuarij 1641.

Tuorum humillimus

Nicolaus Larche.

Ex

Ex quibus omnibus à doctissimo Nicolao Larche recensitis, manifestè colligitur, quæ sunt in ventre thoracis, siuè in latere, per pulmones expurgari nõ valere, vt dicebamus. Sed vulgaris quidam Chirurgus, senex tamen, & ingenio pollens, ad propositum huiuscemodi quæstionis verba faciendo, referebat se vidisse ægrum laborantem dolore lateris, cum tussi, & difficultate respirandi, necnon etiã tumore eodem in latere, à quò euasit superueniente expurgatione per sputum alicuius materiei purulentæ. Ex quò arguebat, non posse negari quòd etiam materia in latere thoracis existens, per pulmones, & spu-

ſputum excernatur. Cui quidem argumentationi breuiter reſponſum exhibendo, dico illam materiam, quæ expurgata per tuſſim refertur in hoc caſu, fuiſſe intrà pulmones, non extrà, atquè in latere thoracis: Et quanquam tumor etiam adeſſet in pectore, ſiuè latere thoracis, id tamen nihil obſtare ſententiæ noſtræ, propterea quod tumet pectus per accidens interdum, nec non ad pulmonis tumefactionem, vt euidentiſſimè colligitur ex Hipp. pluribus in locis, ſed præſertim lib. de internis affectionibus; cum de eriſipelate pulmonis agit, atquè his ad vnguem verbis loquitur. Si pulmo ab eriſipelate intumue-

muerit, tussis adest sicca, difficultas respirandi, & erecta ceruice, & dolor fortis in pectoribus, & tumor detinet pectora; quarè ex proprio affectu pulmonis dolet, necnon tumet etiã pectus nonnunquam. Ex his ergò, & alijs superiùs allatis, firmissima remanet conclusio nostra, nempè quod pars affecta pleuritidis pulmones sint, non verò latus, siuè lateris succingens membrana.

Neque obstant experimenta quæ in contrarium adduci solent, propterea quod vera sunt, & non vera interdum: Verum quidem est ego dicam experimentum à Gal. allatum 5. de loc. affect. cap. 3. nempè de aqua

mulſa intrà thoracem iniecta, nec non à vulnerato deguſtata; quià ſcilicet in hoc caſu etiam pulmo fortaſsè ſauciatus erat. Verum non eſt etiam huiuſcemodi experimentum; quandoquidem cunctis in thorace vulneratis id non experitur. Sicuti etiam pulſus durus, pulſus ſerrinus, ſunt accidentia haud neceſſaria in pleuritide, nequè à diligentiſſimo Hippoc. ſæpiùs recenſita, adſunt interdum, vt plurimum verò abſunt. Et prætereà ex pulſu ſerrino non benè arguitur pleuritidẽ in membrana coſtas ſuccingente generari; ſiquidem pulſus huiuſmodi, vt aiunt, eſt effectus conſequens ad quamlibet

libet inflammationem. Vndè Gal.lib.de pulſ. ad Thy. cap. 11. & 4. de cauſis pulſ. cap. 7. hæc ſcripta reliquit: Inflammatio habet omnis pulſum veluti ſerrantem, quoniam ſemper habet intemperiem calidam, & tenſionem; quæ ſi leuis eſt inflammatio, aut partes viliores occupet, vicinis dumtaxat partibus communicantur; ſin verò vehemens, aut in nobilioribus locis, vniuerſo corpori impartiuntur. Perpende quæſo Lector hic verba Galen. percipies enim pulſum hunc durum, & veluti ſerrantem, non conſequi ſolum ad inflammationem mébranæ coſtas ſuccingentis, ſed etiam, & multò magis ad in-

flammationem pulmonis, loci quidem in corpore membrana ipsa succingente nobilioris, atquè etiam cordi, & arterijs proximioris.

Nequè etiã obstat argumentum à dolore desumptum; nam estò quidem, & dato, sed non concesso; quod pulmones internè minus doleant: at inflammata eorundem membrana simul cum substantia, dolet pulmo, & acutè dolet. Vndè 2. de morbis Hippocrates, si pulmo inquit ad latus prolapsus fuerit dolores acuti pungunt. Et 3. de morbis in pulmone præ calore tumente, dolor acutus accidit, vt alibi dicebamus. Cum de erisipelate pulmonis, atquè tur-

turberculo agit idem Hipp. primò de morbis, dolor acutus fit in anterioribus, & posterioribus partibus. Et postremò lib. de internis affectionibus, si pulmo ab erisipelate intumuerit, tussis adest sicca, difficultas respirandi, & erecta ceruice, necnon dolor fortis. Quarè dolet pulmo, & acutè etiam dolet; quinimò Hippoc. in omni ferè pulmonis affectu, etiam doloris mentionem habet, quià scilicet dolorem vtiquè percipit pulmo, vt dicebamus. Nequè obstat sicuti ab aliquibus dubitatur, quod in phtisicis dolores non adsint. Et tamen fit phtisis indubitanter vlcerato pulmone apud omnes Medicos;

Propterea quod in principio, & dum phtiſis eſt in fieri, atquè vlcus generatur, maximos dolores percipiunt ægri interdum: deindè verò accidit quemadmodum in alijs vlceribus, in quibus carne veluti ſemimortua reddita, progreſſu temporis, omninò doloris expertes ſunt, ſicuti in cauterijs id paſſim experitur, & quæ ſinè vllo dolore pariter geſtantur. Prætereà poſſet reſponderi non percipi dolorem à phtiſicis interdum, quià vlcus cauſa eiuſdem affectus in ſubſtantia interna pulmonis ſedem habet, non autem in ſuperficie. Verum reſponſio prius reddita eſt magis adæquata, atquè difficulta-

tem

tem penitùs euellit. Sicuti etiam neque obstat quod peripneumonia obsessi interdum aponi sint, neque vllo ferè vexentur dolore, vt experientia comprobatur, quippè quia haud in principio peripneumoniæ id accidit, verum in fine, & cum sentientes partes pulmonis in obitum tendunt. Et prætereà licet quandoquè, siuè vt plurimum, pleuritici magis doleant, quam peripneumonici, ex hoc autem inferre quod pleuritis, & peripneumonia haud in eodem loco fiant, absurdum est; proptereà quod id accidit ex eo quià in pleuritide vna solum læditur pulmonis pars, in peripneumonia verò vtraquè, & ve-

veluti docet Arist. in 2. de anima, pluribus intentus minor est ad singula sensus. Obruitur etiã vt ita dicam sensus in peripneumonia ex ingenti pulmonis inflammatione, & à nimia quantitate humorum, atquè propterea minus dolet. in pleuritide autem è contra hoc ipsum non contingit, cum inflãmatio minor adsit in eodem, necnon ex minori etiam humorum quantitate proficiscatur.

Et quod pulmones doleant, atquè acutè sicuti aliæ partes, colligitur etiam ex Gal. 5. de loc. affect. cap. 3. vbi asserit pericardium, & succingens membrana eiusdem sunt naturæ, non secus ac membrana pulmonis.

Vn-

Vndè Petrus Crispus Consabinus meus in cõmentario lib. 1. Aph.contex.12.recenset se non raro obseruasse membranæ pulmonis inflammationem, cum ijsdem prorsus signis pathognomonicis quæ,& membrana succingens habet, atquè pleuriticis dissectis inuenisse ampliùs pulmones maximè putrefactos, membranam verò succingentẽ leuiter, aut nullo modo. Postremò Ioannes Baptista Orius olim insignis Medicus in hac Vrbe Roma, in epistola ad Iulium Cęsarem Claudinum,scribit se Romæ vidisse pleuriticos dissectos, in quibus fuerunt inuenti pulmones læsi,non autem membrana succingens; quod ip-

ipſum teſtatum quoquè fuiſſe ait à pluribus alijs Vrbis Romæ Medicis præclariſſimis, ità Claudinus refert in reſponſione decima quinta. Et hæc alia de parte affecta pleuritidis, currentiſſimo calamo etiam dicta pro nunc ſatis ſint.



LAVS DEO.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 27. lin. 16. Aer ille	Aerem illum

